

DIPLOMA CÆSAREVM CONCES-
SVM ERASMO REINHOLT SAL-
VELDENSI.



ERDINANDVS Diuina cauente clementia, Romano-
rum Rex semper Augustus, ac Germanicæ, Hungariæ, Bohe-
miæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Infans Hispaniarum,
Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabanticæ, Stiriæ,
Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Morauia, &c. Dux Lu-
cenburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, VVirtembergæ & Theckæ,
Princeps Sueuiæ, Comes Hasspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, & Coritiæ,
Landgrauus Alsatia, Marchio Sacri Romani Imperij, Burgoniæ, supe-
rioris & inferioris Lusatia, Dominus Marchiæ Sclauoniæ, Portus Nao-
nis, & Salinarum, &c. Scimus & vitæ hominũ necessariam esse doctrinam
de vera anni ratione & de terræ magnitudine, & Regionum situ ac inter-
uallis, & in omni vita numerorum & Geometriæ vsum maximum esse, &
has ipsas artes testimonia illustria esse de Deo, & Regum cura conseruandas
propter communem vtilitatem generis humani: sicut semper Laudatissimi
Imperatores ac Reges earum propagationem eximio studio adiuuerunt. Et
nota sunt ac celebrata maiorum nostrorum, inclyti Alphonsi Regis Hispaniarum,
& aliorum beneficia in hoc genere tributa vniuersæ posteritati.
Et nos vt legibus & disciplinæ restitutione murire Rempub. studemus, ita
huius doctrinæ conseruatione posteritati libenter consulimus. Cùm igitur per
homines fide dignos & viros præcipuos ad nos relatam esset, nostrum & Sa-
cri Imperij fidelem, dilectum Erasmus Reinholt, Philosophiæ Magistrum,
non solum præclarè eruditum esse in Mathematicam doctrinam, sed etiam vti-
liter Reipub. in his artibus docendis seruire, & latè semina earum sparsisse,
& edidisse, ac editurum esse lucubrationes vtilis: & humiliter ipsum orare,
vt nostro Priuilegio editiones eius muniantur aduersus iniustam auaritiã
eorum, qui occasionem damni præbent his, qui primas editiones magno labo-
re ac sumptu adornat: Nos quia & artium propagationi fauemus & cau-
sam probamus, humilimæ eius supplicationi clementer annuimus. Vt autem
sciremus libros vtilis esse publicis studijs, quos editurus est, Catalogum hunc
nobis